4°
H. eccl.
515

Staatl. Bibli...
Regensburg

4° Hist. eccl. 515

№ 7. — : 45. Xr.
5. Stück.

SeMper BerthoLDe pLaCebIs.

VIVe, VaLe, fLore VarIo BerthoLDe DeCore.
VoLVat feLICes paX tIbI ChaRa VICes.

Petro Schubart v. Ehrenberg del. J. A. Pfeffel et C. Engelbrecht fec. Vien.

Staatl. Bibli...
Regensburg

4° Hist. eccl. 515

N°. 7. — : 45. Xr.

SeMper BerthoLDe pLaCebIs.

VIVe, VaLe, fLore VarIo BerthoLDe DeCore.

VoLVat feLICes paX tIbI ChaRa VICes.

Petr. Schubart v. Ehrenberg del. J. A. Pfeffel et C. Engelbrecht fec. Vien.

APPLAUSUS GRATULATORIUS,

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI, AC AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

BERTHOLDO MELLICENSIUM ABBATI

DIGNISSIMO,

DUM

Sacrâ Infulâ decoraretur,

INSTITUTUS

A

P. JOSEPHO DE WERTEMA

Professo Mellicensi, & p. t. Viennæ in Aula Mellicensi Præfecto.

ANNO M. DCCI.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Apud Susannam Christinam, Matthæi Cosmerovij,
S.C.M. Typographi Aulici, Viduam.

APPLAUSUS
GRATULATORIUS,
REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI, AC
DOMINO, DOMINO
BERTHOLDO
MELLICENSIUM
ABBATI
DIGNISSIMO,

DUM

Sacra Iubila decorantem,

INSTITUIT ILLIS

A

P. IOSEPHO DEWERTEMA

Protho Mellicenſi, & p. t. Viennæ in
Aula Mellicenſi Prælecto.

677/9

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Apud Sebastianum Cleilium, Martini Colinetovij,
S. C. M. Typographi Aulici, Vidum.

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI, AC
AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO
BERTHOLDO
ORDINIS S. BENEDICTI,
CELEBERRIMI, AC EXEMPTI
MONASTERIJ MELLICENSIS
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS
GRATIA
ABBATI
VIGILANTISSIMO,
SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ
DOCTORI,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO,
INCLYTORUM STATUUM
PROVINCIALIUM INFERIORIS
AUSTRIÆ PRIMATI,
SENATUS ECCLESIASTICI
PRÆSIDI;
DOMINO, DOMINO,
AC
PRÆSULI GRATIOSISSIMO,
OBSERVANDISSIMO.

BertholDe MItrâ CLare!

PRæclare Virtute & Sapientiâ!
Rarâ excellens Prudentiâ!
Poſt legitimam Electionem
Monaſterij Mellicenſis,
Poſt Apoſtolicam confirmationem
CLEMENTIS XI.
Poſt Cæſaream comprobationem
LEOPOLDI I.
Dum capeſſis Inſignia
Sacræ Dignitatis,
Meos in applauſum affectus excitas,
Et linguam animas in gratulationem.
Fabula eſt,
Memnonis ſtatuam Oriente ſiderum
Principe
In voces reſolvi.

Veri-

Veritas eſt,
Ad Stellæ Tuæ fulgorem
Devotorum Tibi Religioſorum
pectora
In plauſus animari.
Inter quos
Et ego aliquam mihi partem
vendico,
Tanto Tibi obſtrictior,
Quantò per plures annos vicinior.
Applauſus Argumentum
Non eſt à longè petitum.
Felix capio auſpicium
A die XVIII. Novembris anni
præteriti,
Quæ à Divorum Apoſtolorum
Petri & Pauli
Baſilicis Romæ dedicatis
Jam pridem toti orbi celebris,
Nuper ab Electione Tui facta Mellicij
Nobis facta eſt memorabilis.
Deinde ab Inſignibus Tuis, & Noſtris
Meritum deſumo encomium.
In Stella ſcilicet coruſcante
Clariſſimam Tuam Virtutem,

In Aquila ad ſolem evolante
Ingenij Tui perſpicaciam,
Et excellentiam Sapientiæ,
In Clave gemina Cœnobio Noſtro
propria
Egregiam Tuam in Oeconomicis
Prudentiam
Omnium oculis, animísq; propono,
Et Mellicenſibus
Pium, Sapientem, ac Prudentem
Præſulem,
Tibi verò ſacram Dignitatem
Affectu ſincero gratulor.
Poſt LII. Cœnobij Noſtri Abbates
BERTHOLDE MERITÒ ELECTE
Anno poſtremo Sæculi XVII.
saCrâ MItrâ DeCorate
Anno primo Sæculi XVIII.
Utrumque jungis Sæculum rarâ
felicitate,
Et priores Abbates imitatione
complecteris,
Futuris exemplo præluces.
Io! Vive! perenna!
Præſul Reverendiſſime!

Sub

Sub Divis Eccleſiæ Principibus,
Mellicij Tutelaribus
Feliciter Claves gere Mellicenſes;
Aſcende, ſicut Aquila
Provocans ad volandum pullos ſuos;
Et velut Stella
In perpetuas fulge æternitates.
Ita
Ex animo Tibi precor & voveo,
Simúlque Applauſum hunc
Gratulatorium
Do, ſaCro, DeDICo,

Joſephus de Wertema.

PRO-

PROLUSIO POETICA CARMINE LEONINO,

AD MELLICenſes.

BERTHOLDO electo, ſimul ad ſublimia vecto
Mellicium gaude; læto quoq; carmine plaude.
Dic celebres auſus Abbatis, concine plauſus,
Et cumula totis lætiſſima jubila votis.
Virtute hic rarus Præſul, pietatéq; clarus
Stellæ inſtar plenos, & gratâ luce ſerenos
Vibrat ſplendores, ſacrósq; capeſſit honores.
Ille ſuas partes explevit, quæſijt artes,
Dum Sophiæ ſedes, & ſacræ Palladis ædes
Scandere geſtivit, ſolérsq; Lycea petivit.
Hinc illum Lauro Pallas decoravit, & auro,
Docta ut condignis fulgerent tempora ſignis.
Nunc plùs aſcendit, magis ad ſublimia tendit,
Dum capit ante aram radianti fronte tiaram.
BERTHOLDE! optatis faveant tibi ſidera fatis.
Dent vitæ florem Superi, membrísq; vigorem.
Absque ullo nævo, longo ſis ſoſpes in ævo;
Nam morum formâ Tu lex es, regula, norma.
Sic, dum mitra datur, Tibi noſtra Thalia precatur,
Et plauſus clangit, feſtivágq; carmina pangit.

Aſſur-

DILeCto Date BerthoLDo.

BerthoLDo AbbatI LVX sIt, soLésqVe beatI,
DVratVra qVIes, perpetVIqVe DIes.

ASsurge Musa ! cur segnis hæres, & ambiguo torpes cogitatu solicita? Festinum stringe calamum, quo festivum scribas elogium BERTHOLDO. Nefas est inter plena gaudiorum tacere illicia, lætos inter gratulantium agminum triumphos turpi laborare silentio nefas est. Nihil hìc ad lætitiam tuam instrui abundantius, nihil ad solatium donari copiosius, nihil ad futuram posthac felicitatem cumulatius conferri potest BERTHOLDO. Lugebat hactenus acerbo dolore Parentis funera triste Mellicium, deplorabat caducum Præsulem mœrens Cœnobium; ipso nihilominus mœrore meritum est grande pignus, & sæculorum, sub finem sæculi, munus planè augustum. Quid ergo, quòd sileas? incide fastis neo-nata gaudia & dignum neo-coronato Præsule encomium concinna. Non caret omine, quod cœlo datum est; non fallit augurio, quod festo Superûm signatur calculo. Ipso

Dedicationis die Basilicarum Divorum Ecclesiæ & Apostolorum Principum Petri ac Pauli unus ex sexaginta aliquot unanimi concordis animi suffragio Abbas proclamatur BERTHOLDUS. Felix augurium Neo-Præsul Reverendissime ! Bis noster es, semel, dum domesticâ virtute nobis pretiosus ; iterum, quando ab ipsis Ecclesiæ nostræ Patronis Divis Petro ac Paulo donatus Præsul. Næ te pretiosum dixero, qui inter tot Monasterij nostri præclarissima pretia solus tanti eras, ut inclytâ *Virtute*, ac sublimi *Sapientiâ* pretium tiaræ valeres & dignitatem. Næ te donatum asserue-ro, cui ipsa Ecclesiæ lumina (quasi verò decretorio omine omnia firmarent suffragia) festivo quælibet jubent indulgere obsequio, dum faustè acclamant : DILeCto Date BertHoLDo. Nec est, quòd ad insolitam vel hæream, minùs stupeam felicitatem tuam, an uberem nostram incolumitatem ? Enimvero *eximiam virtutem sponte sequitur suum decus*. (a) Vellem hìc ego, ut Tullij ore loquerer, Hortensij suavitate pollerem, non ego me exorare unquam paterer , quin integro sermone narrarem singula, licèt complecti minùs valerem universa. Et quid de *Tuis* sentiam aut edicam prærogativis ? Fervet in corde Pietas, lucet in fronte ingenij sublimitas, radiat in mente communis subditorum amor, spirat virtutem motus, sermonem doctrina , Abbatem integrum virtus una. Ea siquidem specimina edidisti hactenus, ut convocata Religio mox te viso adver-

(a) *Plutarch.*

terit,

terit, quòd jam à teneris imperandi artem addiſcas. Quid illud præterea, in tanta, támq; excelſa, quâ nunc incedis, gloria, non ambire honorem, aquiſito non ſuperbire, ſed ſummâ uti animi moderatione? Ingentia ſunt, & *Tui* lydius animi, ad quem virtutum magnitudinem exploremus. Plura non refero. Scire amas, quo ad dignitatem, quam geſtas, aſcenderis vel invitus veſtigio? Dicam quid ſit. Illa morum ſuavitas, illa oris ſerenitas, animi vigor ad imponendam tiaram ſupra ætatem maturo vertici liberali affectu ſuffragia inclinavit. Non erat, quòd ambitu huc procurreres; ſecurus eras, Mellicium totum in ſententiam, *Tuæque* dignitatis annutum iturum, quod votis omnibus non niſi *Virtutem*, & *Sapientiam* proſequitur ſemper & proſequetur. En ergo quam aptè *Tibi* regnandi convenit ſtudium, quem tam multiplicia exigebant merita, ut præeſſes. Jactantia fuit Hadriani Imperatoris, qui ſuis numismatibus inſculpi fecerat aquilam evolantem, alâ unâ Jovem, alterâ Junonem in ſublime efferentem. (a) Modeſta veritas eſt: quòd aquila *Tua* alâ unâ *Virtutem*, alterâ *Sapientiam Tuam* in ſublime extulerit, quo emolumento? planè inſigni. Ad infulas evolavit feliciter, ne ſua utríque, quâ coronaretur, deeſſet tiara. Ite nunc vota, & pulchro gratulantium agmine novo vos Præſuli venerabundo genu inclinate. Deſciſcunt veſtræ à vulgaribus delicijs lætitiæ; illæ enim plerumque intemeratæ non ſunt, mœſtitiâ vitian-

(a) *In Vita Hadriani.*

tiantur ; hæ ſemper candidæ, quia à Superis conceſſæ. O quanta tua, charum Mellicium! aſſurgit hodiedum gloria, quæ gaudiorum accreſcit magnitudo, dum Præſulem tuum vides, Abbatem ſpectas, Parentem amas! Si quando triumphandum erat, ſi quando concepta gaudiorum fiducia animos mentémq; tuam mulcebat, id præſenti tempore uberrima bene gerendarum rerum ſpondet felicitas in adultis meritis pulcherrimarum virtutum. Sive enim nitere virtute ambias, ſingularem à nitidiſſima novi Præſulis ſtella capies ſplendorem; ſive ſapientiâ ad alta evolare anheles, ab ejuſdem Aquila celeres alas mutuabis. Tenes Patrem optimum, & in eo omnia. Nam ſi Pauſanias quærenti cuidam, quo modo de Thracibus victoria indubitatè comparari valeat, illud repoſuit : *Si, qui vir optimus eſt, in Belliducem eligatur;* (a) quî tu fortunis tuis, aut bene cultæ incolumitati timeas, non video, dum Patrem optimum lætiſſimo tibi omine præeſſe voluiſti. Unum ſupereſt, ut gaudia coronide corones. Macedones olim Regi ſuo Perſeo auream fortunæ ſtatuam dedicantes feſtivè acclamabant : *Dent ſuperi vitam, nos fortunam;* (b) meliùs tu Melleo Præſuli ſacrum te ſubarrhabis Mellicium, quando ipſa electionis dies tuis Patronis ſacra de futura ætate te dubitare nec vult, nec ſinit. Auge itaque vota, ut dignè excipias, quem dudum jam gremio circumtuliſti; laxa affectus, ut quæ *Reverendiſſimi BERTHOLDI* gloria eſt, eloquaris. Ego in-

(a) *Plutarchus.* (b) *Politianus in Miſcell.*

terim

terim me ad *Te* converto Neo-Præſul Reverendiſſime ! perge eo virtutis tramite, à quo nemo Abbatum deflectere debet, nemo bonorum vult, *Tu* nullus potes. Perge eo providè regnandi imperio, quod tenuiſti hactenus, reliquiſti nunquam, augebis ſemper. Perge demum, quò felici itinere (ipſi namque Cœlites annuunt) *Te Tua* ducent merita & deducent. Mihi verò *Te* aſſiduâ cogitatione admirari, & chronographico lubet affectu exclamare:

BERTHOLDO ABBATI TEMPORA
LÆTA PRECOR.

ODE.

EJa! florentes Zephyri per agros
Præpetem juncti celerent volatum;
Sibilent auræ, placidóque campos
Murmure perflent.
Eja! formoſam redimita frontem
Præſes hortorum, Dea pulchra florum
Adſit, & vernam redolente terram
Ornet amictu.
Advolet lætis ſociata Nymphis;
Prata conſpergat nive liliorum;
Impleat valles, viridésque colles
Imbre roſarum.
Fulgeant blandæ ſine nube luces,
Et novo vectus ſuper aſtra curru
Rideat Titan, rutilóque ſpargat
Ore nitores.
Naiades ludant vitreis ſub undis;
Mutuis plaudant Dryades choreis;
Et melos gratum volucres ſonoro
Gutture criſpent.

Orpheus gratas trepidante plectro
Excitet chordas, cytharæque cantu
Alta frondosæ resonent ubique
Tecta Dianæ.
Explicent vultum Charites serenum,
Sórsque festivo trabeata cultu
Huc gradum flectat, veniántque pleno
Gaudia risu.
Nunc enim lætos decet esse soles,
Quando BERTHOLDUS merito perampli
Fulget Abbatis titulo, sacrásque
Flectit habenas.
Eja! BERTHOLDO memorate laudes;
Eja! jucundas animate voces,
Et frequentatos hilari fragore
Dicite plausus:
Dignus est auro, viridíque lauro;
Dignus est largo Superûm favore;
Est sacro mitræ rutilantis Abbas
Dignus honore.

PLAUSUS POETICUS
CARMINE QUADRATO.

Voces festivas Abbati promo mitrato.
Festivas cumulo plaudens è pectore laudes.
Abbati plaudens è Pindo jubila clango.
Promo pectore jubila, do versus, modulósq;
Mitrato laudes clango, modulósq; repango.

CARMEN CABALISTICUM
EX LITERIS ALPHABETI,

Exprimens annum ſæcularem, quo Bertholdus electus eſt Abbas Mellicenſis.

Jam Berthold Abbas ùt lucida ſtella coruſcas.

40. 274. 96. 300. 237. 236. 517.

Clavis Cabalæ.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30. 40. 50.

P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.
60. 70. 80. 90. 100. 200. 300. 400. 500.

Demonſtratio Cabaliſtica.

I 9	B 2	A 1	V200	L 20	S 90	C 3
A 1	E 5	B 2	T100	V200	T100	O 50
M30	R 80	B 2	C 3	E 5	R 80	
	T100	A 1	I 9	L 20	V200	
	H 8	S90	D 4	L 20	S 90	
	O 50		A 1	A 1	C 3	
	L 20				A 1	
	D 4				S 90	
	E 5					

40. 274. 96. 300. 237. 236. 517.

Collectio Numerorum.

40
274
96
300
237
236
517

Supputatio facit annum 1700.

DI-

DISTICHON CABALISTICUM EX VOCALIBUS,

Exprimens annum, quo Bertholdus Abbas Infulâ eſt decoratus.

Abbas Bertholdus celſo donatur honore.
1 1. 2 4 5. 2 4. 4 1 5. 4 4 2.

Ille diu felix floreat, ille regat.
3 2. 35. 2 3. 4 21. 3 2. 2 1.

Clavis Cabalæ.

A.	E.	I.	O.	V.
1.	2.	3.	4.	5.

Collectio Numerorum in Carmine Hexametro.		*In Carmine Pentametro.*	
	11		32
	245		35
	24		23
	415		421
	442		32
			21
Summa	1137.	*Summa*	564.

Utraque Summa 1137
564

Facit annum 1701.

BER-

Magno speCIosa DeCore .

VtfVLgent beLLæ feſtIVo LVMIne ſteLLæ;

VIrtVs VIVaCes sIC VIbrat aLta faCes.

BERTHOLDE! hucuſque te Præſulem dixi, nunc filium Benedicti appello. Bina ſunt nomina, ſed una virtus. Errat, quisquis hìc à cœlo aberrat. Nunquam aliâ ad cœli decora ivit viâ Benedictus quàm ſtellatâ: non altero tu ad Cœnobij honores eluctaris tramite, quàm *virtutis ſidere.* Teſtis Benedicti eſt vox illa cœlitùs allapſa: *Hæc eſt via, quâ dilectus Domino Benedictus aſcendit in cœlum.* Teſtis tuus eſt vocale tuum Cœnobium: *Virtus via eſt candore notabilis ipſo, quâ dilectus Mellicio BERTHOLDUS aſcendit ad mitram.* Quamvis autem undiq; Benedictum referas, Filius Patrem, hoc tamen *Tibi* illíque propè diſpar, quod alter ad æternos jam aſcenderit triumphos, *Tu* olim poſt præclariſſima facinora, & ingentem *Tui* æſtimationem ſequêris. Virtutis hìc meminiſſe volupe eſſet, Præſul optime! niſi ſe magnitudo per ipſam decorum imminueret narrationem. Et hoc eſt, cur invitus quodammodo te laudare aggrediar, quòd, dum virtutes tractantur, infra meritum omnis aſſurgat facundia. Dicam nihilominus, quod poſſum; quod ſentio, edicam. Grandis Tua inſolitáque virtus (Stella illa *Magno ſpeCloſa Decore*) Te nobis primò charum, deinde pretioſum, nunc fecit venerandum. Virtutis opus erat, ut à candore animi totus candidus honoris obtenti fieres candidatus. Virtute demum

mum merebaris ſuffragia, ſuffragijs acclamationem, acclamatione tiaram. Et verò tam ſanctè comparatus Honor, quo potiùs eveniret calculo, aut cujus digniori creſceret merito, præterquam Pietatis. Nihil non meretur mens ſolida, nihil non animus præclarus fœneratur. Rectè non arguit, qui cumulatas virtuti opes, profuſa in ornamentum decora negat, quando jam in uberem abijt experientiam, eâdem manu, quâ hanc amplectimur, honores vel ſtringi, vel adaugeri; cùm enim pediſſequa ſit virtuti gloria, avelli non poteſt; quia umbræ in modum ſequitur aſſiduè, ſeparari nequit; domeſticus eſt, non ex longinquo petitus, qui Virtuti ſociatur Honor. Jam olim Honoris templum Virtuti conjunxit antiquitas, ut extra fabulam veritas ſit. Apage maleſane livor! ad merita palles, ut præmia intercidas. Non juvant acerbi dentes, extra ictum virtus eſt, dum extra terram; non proſunt vana molimina, extra motum eſt, quod cœlo figitur, & inter ſtellas lucet. Nec inuſitatè locutus ſum, dum virtutis effigiem in ſtella effinxi. Eſt aliquid lucidiſſimâ hac coruſcare cœli triumphantis imagine. Terrenæ nil fœcis habet, novæque ſemper eſt bajula lucis. Age ſis, quisquis in cauſam arbiter ades, conſule virtutis pretium : nil fœcis terrenæ habet, novæque ſemper eſt bajula lucis. Siquid zelus, ſiquid Religio, ſiquid honeſtas beati concipere potuit, nunquid per ſtellam hanc partum eſt, atque confectum. Næ ille mihi

virtu-

virtutis nomen, de quo nos litem non habemus, ignorare videtur, qui temerariè negat, quod firmatè adduximus. Scio quid virtus, qualisvè? Stella eſt *Magno ſpeCloſa DeCore*. At quorſum attinet tam prolixè ire per alia? ad ſingularia redeamus. BERTHOLDE! Tecum mihi ſermo eſt, & cum Virtute Tua. Edic obſecro, quid de *Te* Vienna, dum inter ſtudia pium, quid Mellicium, dum inter ſuos ſpectavit perquàm religioſum? Credo ego, ſi loqui poſſent, illud voce edicerent: Te nunquam ſpectatum eſſe, niſi aut pediſſequâ, aut præambulâ, aut comite Virtute. Non aberro, ſi aſſevero, huc unum Te cogitatum referre, oculos convertere, vibrare conſilia, mentem intendere, quò uberiùs uni *Tibi* omníque pietatis ſtudio immoreris deliciosè. Figmenta ſunt, dum Æneas Veneris, Ægeriæ Nymphæ Numa, Piſiſtratus Palladis, Nero Dianæ colloquia ſimulârunt. Luculentum eſt, Te Virtuti colloqui aſſiduè, induſtriásq; formare ſermocinationes, ut ad omnem religioſæ perfectionis apicem enitaris. Hinc blanda illa profluit oris facundia, facilis animi ſerenitas, plùs amandi, imperandi minùs ſolicitum ſtudium. Videris, & jam amaris; aſpectus ipſe deliberandi moram tollit ad affectum. Adeſt nimirum ſumma humanitas, & quæ Te amari facit, cùm timeri poſſis, mitis poteſtas; adſunt nivei, & amœnitate perfuſi mores, ac, ut omnia compendio dicam, ades Ipſe. Atque hæc ſpecioſa cultiſſimæ mentis indicia liberaliter effecerunt, ut

tiaram

tiaram raperes ſuavi vi, citra violentiam tamen, niſi quam virtus *Tua* in alijs liberrimè imperaret. Non me contineo, quin recens ſubjungam Pietatis *Tuæ* exemplum in ampliorem decorum commendationem. Eligeris in Abbatem Mellicij; quæ Tua denuntiati Præſulis imperia? quæ primæ ſagaciſſimè cuncta circumſpicientis curæ? Stellæ in morem quia ipſe luces, nitere jubes omnia, dum vetus Cœnobij noſtri templum firmatâ mente ſuſcipis renovandum. Ita quippe in ipſis templis trophæa figenda ſunt, quæ poſteris loquantur ingentis nomen Religionis. BERTHOLDE! ſi cuncta proſpera ſperaverunt Romani, quando omnium magnarum rerum principia à Dijs ſumpſerunt, quid *Tibi Tua* vaticinatur Virtus, quâ merebaris; quid Pietas, à qua regimen auſpicaris? Ultrà non proloquor. Aſcendere molem neceſſe eſt, cui baſin ſtruit Religio; videri debet, quod ſiderum amabile accendit, jubar; latere non poteſt, quod ſupra montem Virtus ædificat. Quòd ſi quæras, quid circumfluæ ad ſidus Tuum faculæ? Religioſæ Tuorum mentes ſunt; Tibi in triumphum ardent; imò digeſtis in literas ſtellis ſcribunt:

EX MILLe eLeCtVs ſteLLIs qVasI
phoſphorVs eXIs
IgneVs, aC fVLgens peCtora
Læta trahIs.

ODE.

ODE.

BERTHOLDE magnâ nobilis indole!
Virtutis almæ laudibus inclyte!
Caput refulgenti tiarâ
Cœnobium Tibi Mellicenſe
Ornare geſtit, Téque niteſcere
Abbatis amplis optat honoribus,
Ut inſtar exſurgentis aſtri
Emineas magis elevatus.
Ergo modeſtum ſubijce verticem,
Sacrámque mitræ ſuſcipe gloriam,
Tibíque delatum prehende
Grande pedum, meritósq; poſthac
Capeſſe faſces, quos Tibi propria
Virtus paravit, quósque perenniter
Orbis Poteſtates ſupremæ
Legitimo Tibi jure firmant.
Te Vaticani culminis arbiter
CLEMENS, ſacrorum gloria Præſulum,
Ex Urbe commendat, Tuíque
Cœnobij caput eſſe mandat.
Te laudat almi Regia Cæſaris;
Sidúsque Regum, Teutonici potens
Dictator orbis, Te favore
Multiplici LEOPOLDUS ornat.
BERTHOLDE Præſul! qui celer evolas
Virtutis alis; perge Favonijs
Semper ſecundis, nec citatum
Trux Aquilo aut Boreas volatum
Unquam retardet. Vive, vale, Soli
Políque largis digne favoribus,
Felicitérque in plura luſtra
Cœnobium rege Mellicenſe.
Sub Te beato ſidere Fauſtitas
Spargat nitores; Pax pede candido
Rus ambiat, cornúque pleno
Copia dives opes profundat;
Novísque Virtus clarior auſibus,
Et diva magni Gloria Numinis
In corda, ſubjectásque mentes
Perpetuis dominentur annis.

CRUX POETICA
VIRTUTI BERTHOLDINÆ ERECTA.

INclyta Virtus
Præſulis almi
Semper amœno
Grata decore,
Clara nitore
Ardet, ut aſtrum
Luce coruſcum.

Quàm bene Virtutem ſacri comitantur honores,
Et fortunati ſuperûmque, hominúmque favores!
Hos BERTHOLDUS habet, quem cœlum munere donat,
Et meritis clarum mitrâ rutilante coronat.

Ergo decoras
Nocte ſerenâ
Aurea ducant
Aſtra choreas,
Atque micantes
Æthere puro
Fulgida ſpargant
Sidera flammas.
Splendidus ipſe
Luminis Author,
Pulchrior alto
Vectus Olympo,
Divite claros
Igne pyropos
Cynthius addat,
Et Tua cingat,
Optime Præſul!
Tempora grato
Luminis auro.
Digna eſt ſcilicet, inclyta
Virtus, ſtelligeri plauſibus ætheris;
Digna eſt Empyreæ ſedis honoribus.

CARMEN CABALISTICUM
EX LITERIS ALPHABETI.

Promicat Abbatum, Bertholdus, lucida Stella.

333. 336. 559. 237. 236.

Clavis Cabalæ.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.

P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.
60.	70.	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.

Demonstratio Cabalistica.

P 60	A 1	B 2	L 20	S 90.
R 80	B 2	E 5	V 200	T 100
O 50	B 2	R 80	C 3	E 5
M 30	A 1	T 100	I 9	L 20
I 9	T 100	H 8	D 4	L 20
C 3	V 200	O 50	A 1	A 1
A 1	M 30	L 20		
T 100		D 4		
		V 200		
		S 90		

---

333. 336. 559. 237. 236.

Collectio Numerorum.	333
	336
	559
	237
	236
Supputatio facit annum	1701.

CAR-

CARMEN HEXAMETRUM
CABALISTICUM EX VOCALIBUS,
De Virtute Abbatis BERTHOLDI.

Praeclaram hic Abbas famam Virtute paravit.
12 1 1. 3. 1 1. 1 1. 3 5 2. 1 1 3.

Clavis Cabalæ.

A. E. I. O. V.
1. 2. 3. 4. 5.

Collectio Numerorum. 1211
3
11
11
352
113

Supputatio facit annum 1701.

CARMEN PENTAMETRUM
CABALISTICUM EX VOCALIBUS,
De Stella Abbatis BERTHOLDI.

Quàm placet aſtriferi Stella venuſta poli!
51. 1 2. 1 3 2 3. 2 1. 2 5 1. 4 3.

Collectio Numerorum. 51
12
1323
21
251
43

Supputatio facit annum 1701.

Nihil

HæC soLa aD soLeM festInat.

Magnos ConatVs, agILésqVe stVpesCo VoLatVs.
sIC, qVICVnqVe sapIt, protInVs aLta CapIt.

NIhil cœptæ BERTHOLDI gloriæ, nihil laudatæ virtutis magnitudini, nihil demum ſuſceptæ gratulandi materiæ imminutum eo, ſi à lucidiſſimis ſtellarum ignibus ad ipſum ſiderum digrediar Patrem, & Patris volucrem, inde ea petiturus encomia, quæ Majeſtatem ſapientiæ & deceant, & oſtendant. Facunde prodi Rumor! & clangore inclyto anima conatum noſtrum. Bene eſt! ſupra terras inter altiſſima ſiderum ſpatia patentibus latè gloriæ alis ſe ſe librat Aquila. Jovis alitem ſi dixeris, id adijce: Sapientiæ quoque ſymbolum eſt triumphantis. At quò, quò bona avis? *HæC soLa aD soLeM feſtInat.* Itane ergo, quod negatur plurimis, uni diſpenſatur? Ita omnino; velut antevolat omnes, ſic omnium aruſpicum atque ætatum conſenſu felicitatis fœcundæ omen gerit; quódque pulcherrimum ſanè eſt, Tuam depingit *Sapientiam Præſul Reverendiſſime!* Emblema hujus ne deſideres; ad iconiſmum velim benigno obtutu advertas. In ſole ſcientiarum occurrat altitudo & ſublimitas, in advolante Aquila ſolidiſſimus penetrandi quælibet ingenij vigor, & ſagacitas. Regnatrix ales propinquo ſole gaudet; non propinquâ, ſed domeſticâ *Tu* ſcientiarum polles prærogativâ;

tivâ; altior ergo es Aquilâ. Vis in amicum committam prælium, qui me ſcribentem circumſtant gemini induſtriæ, ſapientiæque honores? non abnuo. Ad glorioſiſſimum Te invito ſpectaculum, Tuorum ſcilicet monumenta ſtudiorum. Annis abhinc pluribus Viennenſi in Academia *Te* exhibuiſti Ariſtotelis ſectatorem. Recepit *Te* illa in gremium, quò faciliùs inter Sapientiæ ubera adoleſceres; fovit, dum perſpicacem advertit; demum eò promovit, ut, quæ ex Philoſophico bino certamine inter profuſos applauſus in publico ſapientiæ theatro tibi debebatur prima & ſecunda Philoſophiæ laurea, prima foret. Felix ingenium, cui litat gloria! Non habet pulchrius, non grandius orbis ornamentum, quàm virum ſapientem. Hic involat in cœli munera, & quendam refert participatæ divinitatis characterem. Suaviter gubernat humana; imò, ſi extra orbem cum Syracuſano Geometra, poni poſſet, mundum moveret univerſum. Ita videlicet extollit ſuos, quos ad arcana admittit, Sapientia mater. Cœli pignus eſt, favorum Parens, orbis dignitas, aurea mundi Dea. Quo enim veriore nomine pretioſam appellem Sapientiam, naturæ abdita, cœli myſteria, mentium propè omnium cogitatus perſcrutantem? Nemo autem miretur. Mens olim paranda mitris jam tunc Philoſophari debuerat, quia felix eſt gubernatio, quando Philoſophantur imperantes, aut imperant Philoſophantes. Felicem igitur *Te Præſulem!* qui virtute ſcien-

tiâque

tiâque mereris dignitatem, quam in beneficium parabamus. Eſt aliquis, cui totum nihilominus hoc ſapientiæ lumen adhuc modicum videtur? geminemus faces, & vividos aquilæ obtutus illuſtriori die examinemus. Ampliori luce firmatur aquilæ oculus; ſublimiore ſcientiarum difficultate probaris *Reverendiſſime Præſul!* Quid dico, probaris? probari nequit, cujus animum difficultatum aſperitas non offendit, niſi quòd brevis nimiùm eſſet & levis, ac ad tui attactum cederet fugitiva. Decertâſti nimirum bis ex altiſſimis Theologiæ placitis adeò feliciter, ut eadem dies, quæ ultimò diſcipulum viderat, à Doctore non diſtingueret, niſi habitu & annis. Aquilarum, opinor, obſequio uſus es, quia tam feliciter, quàm velociter eò aſcendiſti, quò poſt plurima pauciores eluctantur. Et verò, quod auguſtius amoris *Tui* in ſapientiæ commendationem teſtimonium, quàm quòd etiamnum Abbas priùs Purpurâ volueris rubere Theologicâ, quàm ſacra candere ſub tiara? Factum bene! ut totus fores Auſtriacus, totus candere, rubere totus contendebas. Unum non ſileo Celeberrimæ, & Antiquiſſimæ Univerſitatis Viennenſis de *Te* judicium. Præſulem vocat, cui virtus propè omnis pediſſequa, Doctorem appellat, ſed eum, quia amabilẽ ſub lite quæſtionem relinquit: plúſne Huic à Theologica purpura, an purpuræ ab Hoc laudis acceſſerit & æſtimationis? Illud certum eſt, ſplendidiſſimam eſſe eam conjunctionem, quæ ſolidam inter Virtutem, firma-

támque Sapientiam indiſſolubili nexu intercedit. Fruſtrà hìc Alexandri ferrum inclamatur; ſolvi non poteſt; alterutram (Sorores etenim ſunt) nullus ſine mutui casûs infelicitate amolitur. Charæ ſorores! Præſulem noſtrum (nam cordi vos habet) vos corde fovete toto. Eſt aliquid cor unum binis regi numinibus, & eodem opere cœlum Virtute, terram Sapientiâ trahere in obſequia. Starem hìc ego & acclamarem; verùm hæc ita diſſerendi aptè ſe altera inſinuat *Aquilæ Tuæ* felicitas. Æthera pro terris incolit, accipítque à vicinioris ſolis radijs lumen. O Præſulem ad ſumma natum! Procul ab hujus ſtudijs vilium mentium turbæ, Procul inanes caducarum rerum imagines. Præſuli Cœlum & Deus, mens animuſque eſt; Cœlo & Deo Præſul amor. Animus divinis ſapientiæ curis devotus, mens perpes cœleſtis beatitudinis contemplatrix ſublimem, cœlóque affinem Aquilam abundè probat. De *Te*, credo, ſenſit Poëta, qui quondam ſublimi huic aliti ſubſcripſit: *recto oculo*, *rectóque volatu*. De *Te* cecinit, qui ſubjunxit:

Rara avis, in cœlum recto quæ tramite fertur;
Reginæ volucrum ſemita recta patet.
Par tibi mens volucri eſt, recto ſubit æthera tractu;
Hoc incorruptæ ſimplicitatis habet.
Devia ſæpe via eſt, multos ſua meta fefellit;
Nè malè deflectas, eſt tibi meta DEUS.

Quantum itaque ſpei, quantum à ſpe lætitiæ in ſubditos nos venit & redundat? Erige fortunatam ter felix Divi Benedicti Religio frontem!

tem! Tu pariter ô pulchrum à Capite tuo Mellicium luce illuſtriori accendere, & Aquilam tuam intra te contemplans tuam tibi gratulare fortunam. Dum expandit alas, vires & præſidium tutelæ offert. Quòd ſi ab Aquila Præſul fulmen ſumet, cadet, quisquis eſt ſapientiæ inimicus. Fatale Titanibus Aquilæ auſpicium. Cavete Mellicenſibus hoſtes invidi; excubat vigil Aquila, nullum audaciæ inventum deliteſcet. I nunc *Præſul Reverendiſſime* avibus bonis ac Tuis. Tuam tecum fers fortunam. Ego interim gratulabundus Tibi accino:

sVb nIVeo sortIs sIgno, sVb soLe benIgno
VIVe DIes, qVaLes Mente VoVere VaLes.

O D E.

BEata lux, optata lux,
Albo notanda Signo!
Lux mille digna plauſibus,
Et mille digna votis!
BERTHOLDE! quæ *Te* Præſulem
Digniſſimum creavit.
O quanta nobis gaudia
Hæc una lux paravit!
Quæ *Te* beavit infulâ,
Pedóque roboravit.
Quem docta Pallas imbuit,
Et artibus probavit,

Scientiæque gloriâ
Ad alta ſublevavit,
His dignus eſt honoribus,
Longísque dignus annis.
O clara cœli ſidera!
O aurei nitores!
Dies ſerenos promite
Gratiſſimósque ſoles;
Parate fauſta tempora,
Annósque prorogate;
Servate doctum Præſulem,
Terræ, polóque charum.
Illi perennes præbeat
Beata ſors favores;
Moleſta pellat nubila,
Et tetricos dolores;
Serena donet gaudia,
Et cordium lepores.
Illi Sorores, Præſides
Vitæque, funerísque,
Longæva ducant ſtamina,
Tardéque fila rumpant.
Mors atra frangat ſpicula,
Mitísque Parca parcat,
Ut poſſit annos Neſtoris,
Tithoniósque ſoles
Tam doctus Abbas vivere,
Et proſperè valere.
BERTHOLDUS ergo floreat,
Sibi, ſuísque vivat.
Vivat, triumphet, imperet,
Feliciter perennet.

PYRAMIS POETICA
BERTHOLDINÆ SAPIENTIÆ DEDICATA.

O
Dea
Caſtalis!
Enthea Muſa!
In vertice Pindi
Quæ carmina pangis
Juxta Phocidos undas.
Sume plectra, tange chordas,
Chelyn peritâ percute dexterâ,
Lætísque reple ſidera vocibus,
Sonora magni nomine Præſulis.
Ille Divinâ locuples Minervâ,
Mente præcellens, cerebróque doctus,
Jam pridem variâ probatus Arte,
Plauſus, jubila, gloriam meretur.
Ut Aquila nubes præpeti pennâ ſecat,
Oculóque recto Cynthij ſpectat jubar;
Sic celſo ingenio penetrat doctiſſimus Abbas,
Quæcunque arcanis ſapientia contegit umbris.
O Vatum celebris Præſes ApollO!
Tu ſtimula lentas in mellea carmina Muſas,
Ipſéque dulciſonâ præcine voce melos,
Qui laureatis imperas Camœnis.
Quot cœlo rutilant ſplendida ſidera;
Quot guttas numerat Tethys in æquore;
Quot vernans redolet Chloris odoribus,
Formosísque virent prata coloribus;
Quot ſunt in nemorum ſaltibus arbores;
Quot ſunt frondigeris arboribus comæ;
Tot plauſus cumula, tot cane jubila,
Et doctum meritis Abbatem laudibus orna,
Incolumésque dies, ſolésque precare ſerenos.
Dic: Vivat! valeat! felix in ſæcla perennet!
Sic metra læt- Concine vot-

O O

EPI-

EPIGRAPHE CABALISTICA
EX VOCALIBUS.

Vir ſapiens ſicut Aquila.

3. 1 32. 3 5. 1 53 1.

Clavis Cabalæ.

A.	E.	I.	O.	V.
1.	2.	3.	4.	5.

Collectio Numerorum.

3
132
35
1531

Supputatio facit annum 1701.

Hacte-

N. 5

HæC DanDo, ILLa neganDo.



qVI, qVæ IVsta, DabIt, qVæ sVnt InIVsta, negabIt,
CLarVs erIt DonIs, sIDereIsqVe bonIs.

Petr. Schubart v. Ehrenberg del. J. A. Pfeffel et C. Engelbrecht sec. Vien.

HActenus Te intra Te ſpectâſti *Præſul Reverendiſſime*! Tua nunc decora, quæ domeſtica ſunt, foras prodeunt, & quidem profuſo ſplendore, quo etiam invitus plurimis innoteſcis. Habent enim hoc magnæ virtutes, ut, licèt occulere ſe adlaborent induſtriè, ipsâ tamen ſpontaneæ modeſtiæ ex umbra, luce omni erumpant clariùs in orbis oculos, & ſpectantium admirationem. Publicus fis etiamnum publicarum rerum prudentiſſimè geſtarum teſtimonio. Tuæ Te claves produnt, & quis, qualis ſis, quídve agas, oſtentant. *HæC DanDo, ILLa neganDo* munus ſuum obtinent claves, notæ imperantûm teſſeræ; munificâ liberalitate, & Clementi Juſtitiâ dignitatem ſuam ſuſtinent Præſules, ſacri profaníque orbis ornamenta. Sicut enim nullum pulchrius affulget univerſo ſidus, quàm beneficum, ita nihil commendat Gubernantes cumulatiùs, quàm liberalitas. Soles ſunt Nazianzeno Gregorio: *Illuſtrant omnia;* nubes Vincentio Giliberto: *Se egenti exhauriunt;* maria Lucarino Victori: *Redundant, ut dent;* fontes Abbati Certano: *Dant, ut redundent.* At munifica ſit, non nimia, nec minima manus, oportet. Extra convitium non eſt parſimonia, non extra jacturam prodigalitas; bilance opus eſt, & ſincerâ Juſtitiâ, quæ utrumque ad æqualitatem metiendo cuique

tribuat, quod debet. De Te hæc non eloquor *Præsul Reverendissime!* medio incedis, tutissimus es; medium tenes, etiam atque etiam beatus. Nam velut Pater dispensas liberaliter, sic Abbas providè claudis æraria; atque *HæC DanDo, ILLa neganDo* bene regnantis regulam, optimè gubernantis imples dignitatem, notum Anicij Boëtij secutus dogma: *Optimus est in rebus omnibus modus.* Subit hìc præstantissima Tua ampláque in administratione bonorum cura; quàm accurata hæc, tam quoque fortunata. Certè, qui Te cum Jano contulerit Providentiæ symbolo, nihil egerit aut indignum elogio, aut inimicum veritati. Quemadmodum enim ille adeò in omnes partes intentus est, ut illo nihil providè magis, magísque circumspectè agatur, ita Tu totâ mente subditorum commodis prospicis, ut cuique suum reddas, iniqua tamen non toleres. Vis addam socium in domesticos amorem & studium? Paucis litem absolvo integram, dum Laconicè inscribo: Argus es in necessitatem obviam, Mercurius in tuorum obsequia, augéque potentium fiduciam largiendo. A generalibus ad particularia (quis horum sine prolixo gaudio recordetur?) factæ dissertationis seriem deducamus, ac tantæ facinorum gloriæ insigne Virtutis studium adjiciamus, quod quidem mihi narrandi ultimum, tibi primum fortunatissimi dispendij exhibet monumentum. Audiant universi summæ liberalitatis ac Pietatis nomen! Repeto, quod suprà non sat laudatum

tum reliqui, Tuum in Superos, Cœlitéſque liberale propoſitum. Duo ſunt, quæ hìc famam attollunt, & glorioſum futuris ſæculis reddent Abbatem. Primas curas renovando Mellicenſi templo adhibes; parœmiam imples: *à Jove principium.* Nullis Te ſumptibus, licèt profuſis, abſterrendum ſpondes; verificas Caſſiodori oraculum: *Non debet eſſe parcum beneficium, quod largitate non patitur detrimentum.* Pulchrius profectò non intuetur cœlum ſpectaculum, quàm virum in divina largum, in cœleſtia prodigum; fœnus eſt hæc ipſa profuſio, & innocua planè uſura, quâ cœlorum nundinamur præmia, Cœlitum favorem. Audi vatem:

Multa capit, qui multa dedit; non vincitur ullo
Largiter effuſo largior ære DEUS.
Nam quicunque DEI plùs debita, quàm ſua curat,
Debitor illius cogitur eſſe DEUS.

BERTHOLDE! ſi à ſuſcepto non deſiſtas propoſito, aut fæcula invadis nova, aut elapſa reducis. Hinc enim Divum Conſtantinum, Imperatorem Maximum imitatione reddis, inde Theodoſium Pium renovas, augéſque monimenta antiquorum. Ille Crucis cœlitùs miſſæ illuſtrabat gloriam, iſte Sanctorum corpora puriſſimo auro veſtiebat. Utrumque Tu præſtas, dum firmato ad innovandum templum animo Cruci ſanctiſſimæ (cujus portionem Eccleſiæ Mellicenſi à Progenitoribus ſuis fundatæ Albertus Auſtriæ Marchio anno 1040. contulit) trophæa ſtatuis, & Colomanni Re-

gio Scotorum è ſanguine oriundi ſanctiſſimum Corpus (quod ab Henrico Auſtriæ Marchione Eccleſia hæc in donum acceperat) ipsâ ejuſdem reſtauratione & amas & colis. Ita, videlicet uno beneficio, quod in Divos expendes, mortales ac Superos obligabis ; hos, dum in cultum propones illuſtriorem, illos, dum ad pietatem inſtitues. Inſiſte ergo cœptis *Digniſſime Præſul!* Pietate, quâ Duce cœpiſti, ſic bene ſemper eas ; meliùs ad exaggeratam gloriam non contendes, quàm ſic agendo. Quot enim in hoc facinore glorioſa nomina? Pij, Juſti, Munifici, Sapientis, Fortunati. Inſiſte, inquam ; indubitata enim veritas eſt:

CœLo Dans Dona nIL perDet.

Ego hìc ultrà non tendo, ſed politiſſimi Oratoris ſequor monitum : ad quos laudando aſcendere non vales, modeſto ſilentio venerare. Taceo proinde, & Famæ obſequium ad divulganda BERTHOLDI encomia inclamo. Tu verò *Præſul Reverendiſſime!* quæ incomptè dixi, comi, ut ſoles, benignitate ſuſcipe ; ac dum in anathema perennis obſervantiæ devotum ſuſpendo calamum, patere, ut ſupremùm accinam:

FaVſta eXoptatIs faVeant tIbI sIDera fatIs.
PaX LongæVa soLo, faX sIt AMœna poLo.

ODE.

QUi profundis degis undis,
Magne Rector æquoris!
Et tridente concitati
Frangis iras marmoris,
Linque noti regna ponti
Et cubile Tethyos;
Huc citatum flecte greſſum,
Præpes ad nos advola.
Prome baccas, pande conchas,
Dona præbe gemmea.
Da Pyropos, fer Smaragdos,
Margaritas congrega.
Quidquid imis ſub procellis
Splendidorum munerum,
Vel latentis condis auri,
Sparge magnâ copiâ,
Et frequenter Mellicenſi
Fer tributa Præſuli.
Ille mente providenti
Cuncta ſolers diſpicit,
Quæque dives ſervat arca,
Dona prudens dividit.
Æqua quæ ſunt, liberali
Promit ille dexterâ;
Vana quæ ſunt, ac iniqua,
Execratur munera.
Sic negando, ſícque dando
Munus implet Præſulis,
Et ſecundo Mellicenſes
Jure Claves obtinet.
Illa verò glorioſis
Cura digna laudibus,
Dum profuſum largus aurum
Vult dicare Numini,
Ut vetuſta clariore
Templa luce fulgeant,
Sténtque cultu lætiore
Chara Divis limina.

Cura felix! cura ſacri
Digna mente Præſulis!
Alma qui ſic Templa curat
Inclytorum Cœlitum,
Hic meretur ſplendidorum
Civis eſſe ſiderum.
Magne Præſul, digne donis!
Digne fauſto ſidere!
Te beata ſors honoret
Luculento munere,
Nereúsque ditet undis,
Aureóque flumine;
Ut deinceps plura poſſis
Dona ferre Numini,
Subditóque gratioſè
Providere cœtui.

ENCOMIUM POETICUM CARMINE ACROSTICHO.

BERTHOLDUM feſtiva Bonis Fortuna Beabit.
Exhibet Hic decora Eximiæ probitatis, Et acta;
Raráque fervoris Recti monumenta Relinquit.
Tractat de Divûm Templis, Superûmq; Trophæis.
Hinc veræ plus laudis Habet; ſibi firmat Habenas
Oblatas; bene munus Obit: Pietatis Odorem
Latè diffundit. Lætum fert dando Levamen,
Dúmq; dat, auget opes. Doctrinæ ſigna Decora
Virtute illuſtrat, Varióque nitore Venuſtat.
Servent Hunc nobis Superi, plauſúsque Secundent.

DISTICHON CABALISTICUM
EX VOCALIBUS,
De Clavibus, quæ ſunt Inſignia
Cœnobij Mellicenſis.

Sic Claves raras, Abbas Clariſſime, charas
3. 1 2. 1 1. 1 1. 1 3 3 2. 1 1.
Reddes, dona Solo dum dabis, atque Polo.
2 2. 4 1. 4 4. 5. 1 3. 1 5 2. 4 4.

Clavis Cabalæ.

A.	E.	I.	O.	U.
1.	2.	3.	4.	5.

Collectio Numerorum

In Carmine Hexametro.		*In Carmine Pentametro.*	
	3		22
	12		41
	11		44
	11		5
	1332		13
	11		152
			44
Summa	1380.	*Summa*	321.

Utraque Summa	1380
	321
Facit annum	1701.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Wertema, Johannes de

Applausus gratulatorius, Bertholdo Mellicensium abbati, dum sacra infula decoraretur

Viennae Austriae 1701

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Hist.eccl.515
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11061540-5
VD18 12427020-001